

se diei maluit. Nec pauca tamen eiusdem sapientiæ exstant argumenta, primum omnium vrbs Croton, in extremo Italiae littore sita est, nunc licet ad minimum redacta, quondam tamen vt Cicero testatur, omnibus copiis florentissima & inter vrbes Italicas beatissima. Eius ciuitatis populus, graui prælio attritus, armorum desperationem, atque omnis virtutis odium simul & ocio inhærere cœperat. Qua tempestate, peropportune transuectus, ad Italiam Pythagoras Crotonem adiit, labentesque & iam in luxuriam prolapsos, ciuitatis mores, sapientiæ suæ præsidio firmavit erexitque. Tantumque apud eos valuit, vt populum non minus vitiis quam ferro domitum, assiduis monitis ad antiquæ virtutis habitum reformaret. Sapientissimus Orator pro affectuum varietate, vario remediorum genere vtendum ratus, sexum & ætatem in concionibus distinxit, sua oratione separatim apud quemlibet vsurus. Viris fortitudinem, & ignauiae fugam, mulieribus pudicitiam & conjugalem fidem, pueris verecundiam & literarum amorem, omnibus pariter frugalitatis studium suadebat: Extorsitque per-